

sit et de salutis suae conservatione bene meritus. Animadvertente, quo modestiae temperamento haec exsequatur, ut nihil inpudentiae, multum religionis habeat oratio.

Sic enim dixisti: 'Vidi ego tuam lacrimulam.' § 76.

5 ... Laterensis in Tullium dixerat epilogos eius inridens, quos eum constat nimium flebiles et miserationis plenos in iudiciis semper habuisse. Et in Oratore suo eandem affectuum movendorum sibi praestantiam vindicavit. Ac ne haec lenocinia potius adhibere fallendis iudicibus
10 quam vere secundum animi sui motum facere existimetur, adseverat Cispium hoc suae orationis adfectu non indignum fuisse, cum quo post amicitiae reconciliationem ita participatu fortunae suae dolorem senserit, ut inpense diligi mereatur.

15 Sed me, cum tantum iam Plancio deberem, § 77. Racili beneficiis fuisse contentum.

Extenuaturus merita Cn. Plancii, quae intulisse in M. Tullium videretur, de L. etiam Racilio quaedam Laterensis commemoraverat, qui magis adiumento Ciceroni
20 fuisse videbatur, cum Plancius in tribunatu suo non tantopere sit pro eiusdem restitutione conisus. Ne hoc igitur ei deesset ad gratiam, confitetur animo promptissimo etiam hunc Plancium erga restitutionem suam fuisse; sed quoniam omnia per Racilium videbantur impleta, non ex
25 petisse se dicit, ut etiam ille ex superfluo laboraret, qui tantum sibi in quaestura Macedonica praestitisset. Exstat